



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

Cap. XXII. De Prudentia. Ejus necessitas, & difficultas. Officium viri prudentis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

etiam si non fuisses interpellatus. Tum bona verba bonis rebus adjice, nec quidquam triste misceas beneficio, non mœstitiam, non tarditatem, non exprobrationem, non denique jactantiam. Res ipsa te silente loquetur & qui videt in abscondito, reddet tibi.

5. Inter actus Christianæ beneficentiæ præcipuum tenet locum eleemosyna, quâ fides probatur, redimuntur peccata, emitur cœlum. Cave ergo ne despicias pauperem, qui cum sibi egenus sit, te facere divitem potest. Peccatis tuis venundatus es, redime te pecuniâ tuâ: fac de instrumento avaritiæ subsidium misericordiæ. Histrio te ad risum provocans plenus à te recedit: Christus offerens regnum cœlorum nihil accipiet? Tributa Principi vel invitus solvis, etsi ex agris nihil perceperis; Christo Regi ex eo, quod superabundat, frustum panis denegabis? Cave ne parcens pecuniis tuis, reus sis sanguinis fratris tui. Si non pavisti, occidisti. Cogitas quàm bene alii post te vivant, non cogitas quàm male tu moriaris. Satiùs est deesse aliquid hæredibus tuis de patrimonio, quàm tibi de salute. Inspice rationes tuas. Vide quid in æterna patria, quid hîc possideas. Ex omnibus rebus tuis, id solùm in morte reperies, quod per manus pauperum in cœlum præmisisti. Argue infidelitatem tuam. Invadere domum hostis potest, cœlum non potest.

CAP. XXII. *De Prudentia. Ejus necessitas, & difficultas. Officium viri prudentis.*

1. **U**T Architectis nullum opus rectè procedit sine linea, & libella, ita nec nobis sine prudentia. Hæc norma cæterarum virtutum est, recta ratio agendorum, oculus animæ, & ars vivendi. Non potest esse jucunda vita, à qua absit prudentia. Hanc artem difficillimam esse omnes fatentur. Sed & obscura est. Oritur ex eo difficultas, quòd intra considerationis suæ ambitum res omnes tam universas quam singulares complectatur. Ac deindè quod nullus sit certus status rerum humanarum,

quæ cum sint variæ semper & contingentes, atque à diversis pendeant circumstantiis? non est cuiusque ingenii certam in illis statuere normam, & quæ non rarò repugnantia sunt certo quodam temperamento conjungere, & miscere. Obscuritatem verò adfert caligo illa, quæ rerum gerendarum causæ involvuntur. Apparent quidem earum fastigia, sed latent fundamenta. Latet etiam divinum decretum de prospero vel infelici rerum eventu, undè fit ut paucorum sit ista virtus. Pauci possunt quid magis expediat in quovis negotio prævidere.

2. Prudentiam gignunt usus, & memoria. Res enim singulares quas illa regit, notæ homini fiunt per usum, & experientiam. Tutus eris si tuo & alieno credideris experimento, nec altiori rei te impones, in qua tibi tremendum, & unde cadendum sit. Ut verò omnia prudenter disponas, inspicere primùm debes teipsum, deindè negotia quæ aggredieris, tum eos quorum causâ, vel cum quibus agendum est. Et teipsum quidem accuratè æstimabis; ne plus quàm potes tibi posse videaris. Aliquis eloquentiæ fiducia prolapsus est, quidam patrimonio suo plus imperavit quàm ferre queat, alius infirmum corpus laborioso oppressit officio. Æstimanda sunt postea quæ aggredieris, & vires tuæ cum rebus agendis comparandæ. Opprimunt onera, quæ ferente majora sunt. His quoque admovenda manus, quorum finem aut facere, aut certè sperare possis. Hominum deindè delectus habendus est, an digni sint, quibus partem vitæ tuæ impendas: eorum mores examinandi, ne tibi noceas, dum aliis prodesse studes. Denique considerandum est, utrum natura tua rebus hujusmodi agendis idonea sit, & eo inclinandum quò te vis ingenii defert. Reluctante naturâ irritus labor est.

3. Vir prudens nihil aggreditur, quamdiu aliquâ perturbatione agitur: non enim potest verum & honestum discernere concussa mens, & pravæ affectionis præstigiis delusa. Multum item prudentiæ adversatur præcipitatio, quæ in graves ac inextricabiles casus plerosque induxit.

Quare prudens nil temere agit, propriumque iudicium alieno consilio subijcit. Timidæ sunt hominum cogitationes, incertæ providentiæ, rerum exitus dubii, fallaces experientiæ. Ibi salus, ubi multa consilia. Spectat quoque ad prudentem, rem denudare, & acutè introspicere sine furo & integumentis, quæ decipere incautos solent. Seponere pecuniam, famam, dignitatem: intùs rem ipsam scrutare: quære quid sit, non quid vocetur. Stultum est simulachris & umbris falli. Tum debes veluti ex specula quicquid evenire potest explorare, ne stultum illud quandoque dicendum sit, Non putaram. Ad id longa consultatio adhibenda, maturumque iudicium, & subtile examen, ne prava aliqua circumstantia actionem vitiet, ne prudentia degeneret in astutiam & calliditatem, & ne in tanta veri ac fucati boni vicinia vitium pro virtute amplectaris. Peractâ denique electione, omnem præcide moram, statimque exequere quod decrevisti. Nullus cunctationi locus est in bono consilio, quod non potest laudari, nisi peractum.

C A P. XXIII. *De Iustitia, & Religione. Actus utriusque. Quid sit Pœnitentia, & in quo consistat.*

1. **I**ustitia suprema virtus aliis nata non sibi, quicquid habet transfundit in proximos, nihil petens ex se nisi usum sui. Hæc homines à mutuis injuriis avertit, & mundum universum in pace constituit. Hæc tacita quædam naturæ conventio est, & vinculum societatis humanæ, nec quidquam sine illa laudabile esse potest. Vir justus neminem lædit, alienum non vendicat, omnibus prodest, benè de omnibus sentit & loquitur, dat unicuique quod suum est, non impedit alterius bonum. Si præsit, iusta præcipit, omnibus patet, propriisque utilitatibus subditorum commoda præfert: pœnis vitia coercet, præmia bonis largitur, & sic omnes continet in officio. Si subsit, servat concordiam, legibus paret, & iussis majorum, suorumque statu contentus officia & dignitates non appe-